Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Incipiunt proverbia Senece.

Bona consuetudo excutere debet quod mala instruxit. Bene loqui facere bene.

Quid est homini inimicissimum? Alter homo.

In hoc tantum in ambitu ut liberalius audias quam loquaris.

Multos autem differentes mors incerta prevenit.

Quod tacitum esse velis nemini dixeris.

Si tibi ipsi non imperasti quomodo ab alio silencium speras.

Prius quam promittas delibera ut cum promiseris facias.

Peiora sunt tecta odia quam aperta.

Amicus te loquere timeas quam tacens offendit.

Stultum consilium parvorum tuorum magis timueris quam ipsum; alium enim effugere potes te autem numquam.

Qui a multis timetur multos timet.

Libidinis vicia continebis si gentium cogitaveris.

Stultum putabis locum sine teste. Et forcior qui cupiditatem subicit quam qui hostem vincit. Certum difficillimum est se ipsum vincere.

Pecunia non satiat avariciam sed irritat.

Auribus frequencius utere quam lingua.

Cum alios timueris te ipsum maxime vereris; nam sine aliis esse poteris sine te autem numquam.

Alteri sepe ignoscito tibi autem numquam.

Bonis nocet qui malis parcit.

Tria pavenda sunt timenda: primo quomodo egressura est anima de corpore. Secundo quomodo sit homo occursurus deo in tremendo iudicio. Tercio que contra hominem proferenda sit sententia exeunte a corpore anima.

Aug. Non est magnum diu vivere sed semper vivere; sed magnum est bene vivere.

Aug. Magis cogitare debetis quid ut quam quod assit. Inquantum minor sis tibi cogitandum est non in quantis sis maior.

Aug. Ipsa res est que multos perimit cum dicitur cras cras et subito ostium clauditur. Remansit itaque foris cum voce corvina qui non habuit gemitum columbinum.

Quid significant tres mortui a domino suscitati.

Per tres mortuos quos suscitavit dominus designata sunt tria genera peccatorum. Per filiam archisynagogi que in domo mortua non est elata foras significantur hii qui delectationi carnali intus in corde consentiunt ita ut si facultas adesset eandem delectationem eciam opere perficerent. Hii tales intus in anima mortui sunt. Item per filium vidue qui extra portam mortuus delatus fuerat significantur illi qui post consensum in actum prorumpunt et tamquam offenditos mortuum tales iam in anima mortui et extra mortui sunt. Item per lazarum in sepulchro positum significantur qui post consensum et actum ipsum peccatum in consuetudinem ducunt sintque defensores malorum suorum. Tales consuetudine maligna oppressi tamquam iam sepulti sunt et fetent mortui quatriduani in sepulchro. Unde versus:
Mens mala mors intus. malus actus mors foris.
Usus tumba. puella puer lazarus ista notant.

Sunt multi fratres sed in illis rarus amicus.
Si michi sis ut ego non eris alter ego.
Antiquum retine quem sis expertus amicum.
Nec similem credas si sapis esse novum.
Cum te corripiat senior pacienter habeto.
Et grates tamquam post data multa refer.
Mendaces faciunt ne credas vera loquenti.
Et multis pusillis perfidus unus obest.
Nec poterit cattus servari pelle nitente.
Nec mulier cultus si preciosus erit.
Fallere prudentes pellis ovina solet.
Non tollerant pondus sanus et eger idem.

Ber. Satis alienus est a fide qui ad agendam penitentiam tempora senectutis exspectat. metuendum enim est dum sperat penitentiam incidat in iudicium.

Aug. Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur vel ideo ut bonus exerceatur per illum. Ambrosius. In sempiternum ve illi qui indigne accedit ad mensam domini. Indigne enim accedunt qui vel sunt in criminibus vel impenitentes de venialibus, idest qui quadam securitate et negligencia de venialibus nolunt penitere.

Aug. Multum rogant homines deum ut diu vivant. Quid autem est diu vivere nisi diu torqueri? Et quid est aliud diu vivere nisi dies malos diebus malis adicere? Sic blanditur hic mundus ut nemo velit erumpnosam hanc vitam finire. Vera enim vita eterna vita est.